



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

81. An paruitas materia excuset à lege prohibente, ne extrahatur aliquid à Regno? Ex part. 5. tractat. 5. resol. 49.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

uerstus hanc legem. Sed si iniquitas, ex qua mercium exportatione conseberis damnum graue Reipublicæ facere. Castris ubi supra, existimat, regulariter loquendo, centum aureos, vel merces illius valoris, seu arma decem militum, esse grauem materiam, ex qua damnum Reipublica pati posset, secus in minori quantitate, nisi forte Reipublica oppressa esset ab inimicis. Hæc omnia Castrus Palaus, quæ sunt valde notanda, & multo scrupulos sedabunt.

RESOL. LXXXI.

An paritas materia excuset a lege prohibente, ne extrahatur aliquid à Regno? Ex p. j. tr. 5. Ref. 49.

Negatiuam sententiam contra me nouissimè docet Merolla to. 2. disp. 4. c. 3. dub. 85. n. 242. existimat enim non esse opus ut fractio legis ex se valde vitiosa Reipublicæ, sit mortalis, sequi ingens damnum ex illa fractione particulari, sed satis esse quantitatem in se magnam esse: quod optimè docet Victoria in tr. de potestate ciuili, n. 9. ubi ait mortalem esse extractionem pecuniæ à Regno contra legem, quamuis vna extractio parum noceat, quia, inquit, non spectatur quale damnum sequatur vno contraueniente, sed quale sit à multis, vel communiter fiat: & confirmatur, quia aliis finis legis frustraretur, nunquam enim quislibet tantam quantitatem extrahit, vt ex ea sola ingens Reipublicæ damnum sequatur.

2. Sed ego non discedo à sententia, quam docui, & præter Castrum Palaum nunc adduco Granadum in part. 2. controuers. 7. tr. 3. part. 1. disp. 4. n. 19. ubi sic ait. Obligant sub mortali leges, quibus prohibetur extrahi à Regno aurum, argentum, equos, & triticum, quia transgressoribus infligitur poena mortis, aut confiscationis omnium bonorum. Notant tamen, & meritò, docti recentiores, quando ex prædicta extractione non sequeretur detrimentum, aut certè tam exiguum, vt solutione poenæ compensaretur, non fore peccatum mortale eas leges violare. Ita ille.

RESOL. LXXXII.

An licitum sit, amissa aliqua vera, & legitima scriptura aliam similem conficere, quod à lege seuerè prohibetur? Ex p. j. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 56.

Videtur prima facie respondendum affirmatiuè, quia nemini ea re iniuria inferitur, & sic licet docuit Emmanuel Saë versus falsarius, n. 2. Verùm contrariam sententiam docent Couarruias var. resol. lib. 1. c. 2. n. 2. Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 12. nu. 332. Emmanuel Saë expurgatus, & Paulus Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 3. part. 1. cap. 4. num. 4. ubi docet huiusmodi falsificationes esse Reipublicæ perniciosas, quomobrem à legibus seuerè prohibentur, & cum prohibito iusta sit, in conscientia obligat. Nec valet ratio in contrarium adducta, quia quamuis per tales falsificationes non violetur particularis iustitia, quia nemini ius suum læditur, & idè neque restituendi obligatio aliqua oritur; attamen peccatur contra veritatis virtutem, & quidem cum Reipublicæ perniciæ; graue etenim est publicorum instrumentorum conficiendorum, etiam alio quouis damno secluso, ius sibi vendere. Vide etiam additiones ad Summa Syluestri. verb. Falsarius in fin. In quibus pro hac sententia citatur etiam Nauare. Igitur illicitum erit, & peccatum mortale, amissa scriptura de hereditate, nobilitate, debito, &c. aliam similem fingere; vel conuenio de pecunia, v. g. mutuò accepta quam legitime soluerat, factæ solu-

tionis falsum instrumentum producere. Quæ omnia valde notentur, quia passim hic casus solet accidere, & in illo plures decipiuntur.

RESOL. LXXXIII.

An qui mutat scripturam in aliqua re, qua tamen innititur veritati, sit Falsarius?

Et notatur, quod qui corrigat literas iuxta mentem Pontificis, non est falsarius, nec incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, vt v. g. si dicatur in supplicatione Petro Panormitano, & Notarius scripsit Petro Neapolitano, vel se exprimat quatuor gradus consanguinitatis, & apposerit affinitatis.

Idem est de illo, qui corrigat literas iuxta mentem Episcopi, & supplicationem factam illi.

Et tandem queritur, an sit licitum, amissa vera scriptura aliam similem fingere? Ex p. j. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 40.

Hic casus est frequentissimus, & negatiuè aliqui respondent, quia ex l. cum filius, §. heres meus, ff. de legat. 2. illud non potest dici falsum, quod inuatur primordio veritatis. Et ita docet Iul. Clar. lib. 4. §. falsum, n. 34. Grammatic. in voto 26. n. 12. Crauetta cons. 46. n. 8. Corneus cons. 26. n. 15. Alciatus cons. 461. n. 6. & Menoch. de presump. lib. 5. presump. 20. n. 53. cum aliis.

Ex quibus inferit Gyptius tr. de casib. reseru. cap. 13. cas. 7. n. 7. quòd si testis subscripsit se in apocha, si postea ea perdat, & alia conficiatur, in qua de nouo confecta fiat subscriptio illius testis nomine, in tali casu, etsi re vera in hac secūda non se subscripserit ille testis, nihilominus subscribens non dicitur falsarius, quia illa subscriptio inuatur primordio veritatis: nam aliàs re vera in apocha eiusdem tenoris se subscripsit. Idem etiam ait, quòd si, v. g. Titius mutuauit Caio centum pecunia numerata, & est que de tali mutuo rogatus Notarius Seius, qui dum fecit instrumentum de præfato mutuo, non apposuit pecunia numerata, si postea præfatus Notarius mutet sententiam, & apponat pecunia numerata, talis etsi mutet veritatem narrationis factæ in instrumento, non tamen diceretur falsarius, quia quod agit, inuatur primordio veritatis. Ita Gyptius.

2. Faciunt etiam pro confirmatione supradictæ doctrinæ Bellochius in Theol. mor. p. 2. q. 9. n. 113. & Capellanilla de cas. reseru. cas. 17. q. 2. asserentes quòd si, v. g. porrexit aliquam supplicationem Episcopo, qua petebat sibi dari licentiam excipiendi confessiones, & simul absoluedi à reseruatis in foro conscientie, & vtrumque concedit Episcopus, non exprimitur autem in literis eius nisi facultas excipiendi confessiones, non erit talis falsarius si ascribat, & absoluedi à reseruatis, prout petebat in sua supplicatione signata. Ex quibus posset aliquis argumentari (sed an probabiliter iudicent alij) contra id, quod docet Nald. in summ. verb. Scriptura. n. 7. & nos etiam statuimus cum aliis Doctoribus in 3. p. tr. 6. ref. 56. nempe illicitum esse, amissa vera scriptura aliam consimilem fingere.

3. Notandum est etiam hic obiter contra Soufam in Bull. Cœn. c. 7. disp. 42. n. 8. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 47. vers. Alio modo. Alterum, & alios, quòd qui corrigat literas iuxta mentem Pontificis, non est falsarius, neque incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; vt si, v. g. dicebatur in supplicatione, Petro Panormitano, & Notarius scripsit, Petro Neapolitano, vel in supplicatione exprimebatur quartus gradus consanguinitatis, & Notarius apposerit affinitatis, tunc enim corrigens iuxta supplicationem non est falsarius, neque in aliquam censuram incurrit, quia talis mutatio innititur veritati. Ita probabiliter in Bullæ Cœnæ disp. 1. q. 7. punct. 2. n. 7. ubi citat pro hac sententia Duard. Sayr. Reginald. Vgolin. & Gambarupt. quibus ego addo Nald. in summ. v. Falsum. n. 4.

RESOL.

Quod hoc in tom 5. tr. 1. lege doctrinam ref.

Que hic est Ref. antecessens, &c.

Et pro contento in hoc §. latè in to. 5. tr. 1. Ref. 37. & in alia eius not.